FLORA.

66. Jahrgang.

No. 34. Regensburg, 1. Dezember 1883.

Inhalt. W. Nylander: Addenda nova ad Lichenographiam europaeam. — P. Gabriel Strobl: Flora der Nebroden. (Fortsetzung.)

Addenda nova ad Lichenographiam europaeam.

Continuatio quadragesima prima. — Exponit W. Nylander.

1. Collemodium polycarpoides Nyl.

Thallus obscure olivaceo-nigrescens, lobato-crenatus, ascendens vel suberectus, complicato-congestus; apothecia obscure rufa, conferta (latit. circiter 0,5 millim.); sporae 8nae oblongo-fusiformes uni-septatae, longit. 0,017—23 millim., crassit. 0,007—8 millim., medio saepius constrictae. Iodo gelatina hymenialis coerulescens.

Supra saxa in cacumine Viscos prope Cauterets in Pyrenaeis (Vallot).

Species facie *Collematis polycarpi*, sed jam sporis 1-septatis differens. Thallus intus subcellulosus et I rubescens.

2. Stenocybe tremulicola Norrl.

Subsimilis *Stenocybae byssaceae*, sed stipite apotheciorum subpallescente et sporis minoribus (tenuioribus, longit. 0,013—17 millim., crassit. 0,004—5 millim.).

In Finlandia, Tavastia, super ramulos *Populi tremulae* (Norrlin). In Hungaria prope Eperjes (Lojka, L. Hung. no. 11 et ad int. no. 133).

Vix distinguenda nisi sicut subspecies a *St. byssacea*.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03547-0533-9

3. *Parmelia glabratula* Lam.

Subsimilis *P. fuliginosae* var. *laetevirenti*, sed thallo laevi glabro. Sterilis modo visa.

Abieticola ad Cauterets in Pyrenaeis (Lamy).

Reactione convenit cum *P. fuliginosa*, a qua tamen fere differat sicut subspecies, sed vestigia isidii tenuis, quae parce adsunt, nexum cum *laetevirente* indicant.

4. *Pertusaria pluripuncta* Nyl.

Thallus albidus opacus inaequalis, rimoso-diffractus vel subareolato-rimosus; apothecia in areolis majoribus (vix prominulis) innata (plura in quavis areola), epithecio nigro punctiformi, intus incoloria; sporae 2nae incolores, longit. 0,075—0,110 millim., crassit. 0,035—60 millim.

Supra rupes siliceas agri Olisiponensis in Lusitania (Welwitsch, 1846).

Est species, quae comparari possit cum *P. ceuthocarpa* Sm., sed in ea thallus rhagadioso-diffractus firmior (K e flavo rubricans), apotheciis paucis et discretis in quavis areola fertili; in *P. pluripuncta* thallus K vix flavens, K (CaCl) etiam intus aurantiaco-rubens. Thallus crassitie circiter 0,5 millim.

5. *Lecidea lapsans* Nyl.

Thallus areolato-rimosus (crassit. 0,5 millim. vel tenuior), determinatus; apothecia nigra subinnata marginata (latit. 0,3—0,4 millim.), intus albida; sporae 8nae ellipsoideae uni-septatae, longit. 0,011—12 millim., crassit. circiter 0,006 millim., epithecium fuscescens, paraphyses articulatae, hypothecium incolor. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein lutescens et thecae apice coerulescentia persistente.

Supra saxa calcarea in Pyrenaeorum Pic de Catarabe (Vallot).

Species forsan accedens ad *L. scotinam* Krb., sed spermogonia non visa. Esse etiam possit stirpis *Lecanorae erysibes*. Thallus supra et epithecium K violascentia.

6. *Lecidea crisima* Nyl.

Thallus albus nitidus firmiusculus (crassit. 0,5 millim. vel tenuior), subareolato-diffractus; apothecia nigra plana marginata (latit. 0,5—0,9 millim.), intus alba; sporae 8nae ellipsoideae sim-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03547-0534-5

plices, longit. 0,008—0,010 millim., crassit. 0,004—6 millim., epithecium cum perithecio coerulescens, paraphyses non bene discretae (gracilescentes), hypothecium incolor. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose fulvescens.

Supra saxa argillaceo-schistosa in summo monticulo Peyre-Nère Pyrenaeorum prope Cauterets (Lamy).

Species prope *L. distantem* Kphb. locum habens, thallo albo et variis aliis notis differens. Sic spermatia (arcuata) breviora, longit. 0,014—19 millim., crassit. 0,0005 millim. Facies fere *L. polycarpae* ibidem obviae. Thallus K flavens, I —.

7. *Lecidea contenebricans* Nyl.

Thallus obscure cinereus vel cinereo-fuscescens, fere mediocris (crassit. 0,5 millim. vel nonnihil tenuior), laeviusculus, rimoso-diffractus, intus albus; apothecia nigra planiuscula marginata (latit. 1—2 millim.), intus albida strato infero fusco-obscurato; sporae 8nae ellipsoideae, longit. 0,010—11 millim., crassit. 0,005—6 millim., epithecium coerulescenti-obscuratum, hypothecium rufescenti-fuscescens. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein violaceo-fulvescens (thecae praesertim tinctae).

In Anglia, Red Screes, Westmoreland (Martindale), super saxa vulcanica schistoidea (ubi etiam *L. tenebrica* Nyl. in Flora 1882, p. 454).

Species notabilis facie fere *L. tenebricae*, sed major, apotheciis marginatis et plurimis notis differens. Thallus intus I + et K e flavo sensim ferruginascens. Apothecia epithecio et perithecio involvente Acido nitrico violacee-roselle tincta. Pars involuta laxe confuseque cellulosa sicut pars corticalis thalli.

8. *Lecidea Valloti* Lam.

Thallus cinereo-fuscescens tenuissimus indistinctus vel evanescens; apothecia nigra convexa immarginata (latit. circiter 0,5 millim.), intus concoloria; sporae 8nae incolores ellipsoideae simplices, longit. 0,007—9 millim., crassit. 0,005 millim., paraphyses discretae apice incrassato fusco, hypothecium fuscum. Iodo gelatina hymenialis intensive et persistenter coerulescens.

Supra saxa silicea in summo monte Vignemale Pyrenaeorum (Vallot).

Species loci in serie Lecidearum incerti, nam spermogonia non visa.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03547-0535-1

9. *Verrucaria globosa* Tayl. mscr.

Thallus cinerascens vel cinereo-subvirescens, tenuis, inaequalis, continuus; apothecia lutescentia vel carneo-lutescentia, subgloboso-mastoidea (latit. circiter 0,4 millim.), saepe extus thallino-obducta; sporae 8nae fusiformes 7-septatae, longit. 0,050—70 millim., crassit. 0,010—14 millim. Iodo sporae solae in protoplasmate fulvo-tinctae.

Supra saxa trachytica ad Blackwater in Hibernia (Taylor).

Species est e stirpe *V. mastoideae* facile notis allatis dignota. Gonidia haplogonidia fere mediocria. Apothecia obducta pertusarioidea, pyrenio toto lutescente.

Observationes.

1. *Synalissa intricata* (Arn. sub *Omphalaria*). Hanc ex specimine sterili parco sumsi pro Nematonostoc in Addendis prioribus, sed deinde vidi e Scotia, monte apud New Galloway (Andrew), spermogoniferam. Gonimia hormogonimia; inde hic Lichen generis distincti esse possit (nota apotheciorum latente forsan accedente), quod dicere liceat *Synalissina*.

2. *Collema thysanizum* dicere conveniat quod in prioribus Addendis p. 104 nominatur „*thysanaeoides*“, nam adest jam *C. thysanaeoides* in Nyl. et Cromb. Lich. East Asia p. 50.

3. „*Collema auriculatum* var. *pinguescens*“ Nyl. non differt a *C. melaeno* Ach. Thallus I vinose rubens (in lamina tenui).

4. *Lecanora subbracteata* sit subspecies *L. incrustantis* thallo subdeterminato, sed nonnisi sterilis visa super muscos (Brya et Barbulas) murorum hortensium prope Parisios, ubi satis frequens occurrit in Meudon. In *L. bracteata* color thalli laetior et granula depressiora.

5. *Pertusaria incarnata* Leight. L. Flora p. 235 non distinguenda sit a *Lecanora parella*. Sporas in typo Leightoniano etiam 8nas vidi (longit. 0,060—68 millim,, crassit. 0,035—0,040 millim.).

6. *Pertusaria sublactea* Leight. l. c. p. 236 non differat a *P. multipuncta*. Thallus K —.

7. *Lecidea crustulata* * *soredizodes* Lam., thallo cinerascente tenui continuo, sorediis albo-virescentibus planis; apotheciis supra rufescentibus. Prope Cauterets schisticola (Lamy). Propria forsitan species.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03547-0536-7

8. Lecidea umbonella dicenda est quae nomine *L. subumbonata* definitur in Flora 1876, p. 236, adest enim ante definita *L. subumbonata* Nyl. in Flora 1872, p. 358.

9. Verrucaria umbrosa Tayl. in Mack. Fl. Hibern. II, p. 97 (1836), est *Opegrapha gyrocarpa* Flot. in Lich. Siles n. 79 (1829). Thallus et praesertim gonidia K (CaCl) erythrinose reagentia.

10. Lichenes characteribus propriis distinctissimis eminentes inter cetera Vegetabilia locum Classis occupant egregiae, nobilissimae. Sunt hi characteres simul externi vel anatomici et physiologici vel biologici. Vitae genere lentissima intermittente atque perennitate per saecula saeculorum producta ii jam ab aliis Classibus omnino separantur nihilque cum his comparabile offerunt, quod praesertim patet apud Lichenes superiores et gonidicos, etiam crustaceos, structura firmiores, vita longissima vel quodammodo infinita gaudentes, ita ut fieri possit plurima individua super rupes montium apricas expansa plura millia annorum vixisse.[1]) Lichenes sic, certe maxima reverentia dignissimi, patriarchas sistunt mundi vegetabilis. Constitutio tamen eorum delicatissima observatur, situs patens et apertus, vento purissimo perflatus iis necessarius, cur illi omni perturbatione conditionum stationis, ubi degunt, infestantur, decolorantur, deformantur vel pereunt; similiter traslatione occidunt.

11. Quid stultius et refutatione quidem immerentius quam fabula puerilis: sporam Lichenum esse Fungum? [Operae ergo vix pretium est animadvertere, sporam illam jam natura sua omnino differre a Fungis, jam firmitate, cur eam desiccando perire nesciam videmus atque cur fit, ut ea etiam in apricis super saxa nuda vitraque ope lichenini adhaerens ibi germinet et per tempora siccissima et aquosa normalem evolutionem Lichenis exsequatur. Nihil in hocce vegetationis modo funginum obvenit minimeque aliquid parasitoideum. Usus vitales vel biologici Lichenum diversissimi sunt ab usibus Fungorum. Atque ex eadem fabula stamina Lichenis prima hyphis consisterent „algas“ investigantibus, quas apprehenderent involverentque. Res autem neutiquam ita eveniunt neque evenire possunt, nam lichenohyphae nihil involvere valent, sunt eae enim rigescentes nec unquam flexae vel contortae neque ullo modo involventes.

[1]) Notetur Lichenes tales mortuos non occurrere (nisi casu mechanico vel chemico destructos). Annosissimi omnino, maximis speciminibus in natura exhibiti, semper validissimi et optime vigentes animadvertuntur, sine ullo senectutis indicio. Neque senectute, neque morte, neque putredine attinguntur.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03547-0537-2

Facillime ceteroquin demonstratur, lichenohyphas investigationibus nullis algologicis vel aliis occupari, nam granula thallina prima, in quorum cellulis subcorticalibus nascuntur gonidia[1]), in centro prothalli vel hypothalli h. e. in parte primo formata observantur nec in hypothalli ambitu vel parte juniore divergente. Hyphae igitur in nulla investigatione versantur; fixura quidem thalli supervenientis sola prothalli vel hypothalli cura apparet. Fungi libenter texturis mollibus et elementis filamentosis flexilibus involventibus praediti res alienas expedite amplectuntur. Lichenibus vero hoc omnino est contrarium neque apud eos occurrit. Contortiones Stahlianas „carpogonicas“ et „trichogynicas“ Lichenibus attributas jam mox in Flora 1879, p. 206 et 304, edixi fictas fuisse ab earum auctore (et qui talia facit, quidne de ceteris istiusmodi fictoris inventis opinari licet?!). Lichenohyphae a contortionibus qualibuscunque abhorrent; semper eas rectas vel rectiusculas conspicimus omnique nisu involvente orbatas. Quod hyphis Fungorum ob naturam biologicam dissimillimam convenit et quo egeant, id lichenohyphas non tangit. Fungi mycelio hyphoideo tenui gaudentes facile contortionibus iteratis hypharum opus habere possunt, ut forment nucleum conceptaculi cellulosum. (Cfr. Osw. Kihlman, Entwickel. der Ascomyceten, 1883.) Apud Lichenes nihil ejusmodi occurrit.

12. Lichenes saepe videmus vigentes super alios Lichenes, sed elementa eorum tum non miscentur; conjunctissime apposita observantur et minime altera alteris nocent. Parasitismus nullo modo adest. Quam aliter ubi fungillus Lichenem aggreditur? Quando hyphae toruloideae (Moriolinae) apothecia invadunt cito totum hymenium perturbatur et confunditur, quod ostendit parasitam hic adesse Lichenis textura vescentem. Si incola superveniens est Lichen, nulla obvenit perturbatio ex illa cohabitatione. Solummodo apud infimas suas proles vel

---

[1]) Cl. Tulasne in Mém. Lich. p. 36, 37, satis perspicue originem gonidiorum indicat: „Ça et là sur les filaments élémentaires s'engendrent de petites cellules sessiles, sphéroïdes et incolores, qui après s'être multiplices, donnent naissance à leur tour à des cellules plus grandes, où s'amasse de la chlorophylle. C'est ainsi que s'organisent lentement les premiers rudiments ou plutôt la base pulvinée d'autant de nouveaux thalles“ (ibi agitur squamulis *Cladoniae pyxidatae* nascentis). Minus perspicue res explicatur l. c. p. 20: „il est manifeste que ces cellules (gonidia) naissent directement des filaments de la médulle ou continuent le tissu cortical à l'intérieur du thalle“, ubi adest quaedam confusio. Granula prima thalli satis bene exponuntur in Tul. l. c. t. III, f. 1—3 et in t. XI, f. 17.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03547-0538-8

apud infima genera Classem Lichenum variis rationibus biologicis animadvertere licet accedentem versus Fungos.

13. Non desunt Lichenes saxicolae ecrustacei hypothallo parco solum indicati, nullum thallum exhibentes neque vestigia granulornm initialium ejusdem. Tamen apothecia non deficiunt.

14. In ortu sporarum notetur, primo protoplasma in thecis inclusum granulationibus suis dispertiri et disponi secundum numerum et formam definitum sporarum; figuras sic sensim earum quasi delineatas in illo protoplasmate videmus. Dein succedit formatio parietis sporalis cellularis, endosporio et subtilissimo cuticularique exosporio. Serius, ubi spora non simplex manere debet, cavitas sporalis, protoplasmate granulationibus vel guttulis oleosis composito, septo vel septis dividitur, pro typis diversis et numero septorum aut loculorum ad typos varios pertinente. In Lichene autem recente saepe septa vix visibilia evadunt nisi addito Hydrate Kalico; at in speciminibus satis diu in herbariis conservatis septa bene apparent. Ita sporae recentes haud raro haberi possunt simplices, ubi tamen revera septatae sunt.

15. Spermatiorum primus characteres et figuras exactas dedi in Synopsi mea Lichenum. Quae inveniuntur sparsa diffusaque apud cl. Tulasne[1]) et definitione et generalibus distinctionibus et formis subtiliter accuratis carent. Character praecipuus spermatiorum est: ea sistere corpuscula solida et nulla facultate germinandi praedita esse. Qui de germinatione spermatiorum loquuntur, nesciunt qualia sunt spermatia. Neque haec apud Lichenes vel Fungos thecasporos forma differre possunt, quantum docuerunt observationes meae. Nuper adhuc in Bulletin de la Société botanique de France 1883, t. IV, f. 6, „spermatia“ dici videmus verissimas stylosporas a D. Richon. Addatur, quod multo minus, quam vulgo putatur, culturis opus est, ut obtineantur germinationes initiales, nam fere ubique in copia maxima sporarum et stylosporarum jam in ipsis apotheciis vel

[1]) D. Bornet, post opus Tulasnei monographiam Ephebes edens, interpretari non potuit terminum spermogonii. Confundit spermogonia cum pycnidibus, quia definitiones ambarum deerant. Magis vero singulare illud ibi occurrit, D. Bornet stipitem Ephebes considerantem credere, se eum totum transpicere, cur texturam internam describit: „cellulis minoribus, confusis.“ De re loquitur, quam ita videre non valuit. In Nyl. Syn. t. II, f. 17, datur vera textura Ephebes, unde videtur, cellulas thalli esse parenchymaticas distinctissimas, breviores vel longiores, quod nonnisi in lamina tenui stipitis dissecti patet.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03547-0539-6

pycnidibus haud rarae occurrunt germinationes incipientes, plurimae enim sporae stylosporaeque maturae in apotheciis vel pycnidibus satis diu remanent antequam disseminantur, ut ibi interdum progerminare incipiant.

16. Considerationes circa genera ampla continuantes, quae in scientia haud aliter quam in natura locum integrum rite occupare censemus, observare fas est, si genera illa ampla divellerentur ob nimium specierum numerum in plura genera minora, inde origo duplex generibus efficeretur et haberemus: 1° genera normalia typis bene distinctis et 2° genera minus bona, factitia, e generibus amplis divisis qualitercunque exsecta. Dignatio illis superior decernenda esset quam his. Sic autem aequitas tolleretur systematica.

17. Corrigenda in Addendis prioribus XL, p. 98, lin. 32: „indicatus", lege indicatur; p. 100, lin. 33: „integre". lege integro; p. 103, lin. 5: „papulosae", lege papulari; p. 107, lin. 9: „Mare Apiat", lege Mare Piat; ibid. lin. 14: „purpurascentia", lege purpurascens.

Parisiis, die 15 Octobris, 1883.

Flora der Nebroden.

Von

Prof. P. Gabriel Strobl.

(Fortsetzung.)

+ *S. maritimus* L. Guss. Syn. et Herb.!, Rchb. D. Fl. 62 II III, Gr. God. II 326, Willk. Lge. II 240.

An feuchten, sumpfigen Stellen und an Bächen: Noch um Termini (Guss. Syn.), im Gebiete selbst noch nicht beobachtet. Mai—October ♃.

S. tenerrimus L. sp. pl. 1117. Presl Fl. Sic., Guss. Syn. et Herb.!, Bert. Fl. It. (non Sic.), Todaro Fl. Sic. exsicc.!, Gr. God. II 324, Rchb. D. Fl. Tfl. 58!, DC. Pr. VII 186, Willk. Lge. II 241. Variirt auch im Gebiete ganz ausserordentlich.

Auf Felsen, Mauern, wüsten Plätzen, zwischen Steingerölle, am Strande, in Gärten (0—700 m.) sehr verbreitet, besonders

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03547-0540-8

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1883

Band/Volume: 66

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Äddenda nova ad Lichenographiam europaeam 531-538